6

AUGUSTINI MARIOTTI
ROMANI PRESBYTERI S. T. D.

D E

NUMMO NEPTUNI

ARGENTEO INCUSO

COMMENTARIOLUS

Ad Illmum, & Rmum D. D. Abb.


JOSEPHUM CALLIXTUM

DE GENTILIBUS

SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS CONSILIARIUM,

Et Electoralis Aulæ Moguntinæ Consiliarium Status Intimum, pluriumque Sac. Rom. Imperii Principum negotiis Præpositum apud S. Sedem.





ROMÆ MDCCLXII.

EXCUDEBANT BENEDICTUS FRANZESIUS, ET CAJETANUS PAPERIUS.

PRÆSIDUM FACULTATE.

ILLME, AC RME ABBAS



E nummo, qui ſuperiore anno, ruderibus quibuſdam in agro Romano effoſſis, inventus eſt, ad te, ABBAS NOBILISSIME, volui ſcribere; ratus enim ſum fore, ut, præ candore animi, quæ ſentias, dicere ſincere non verearis, ac præ tua in me benevolentia, ſi quid ad rem minus accuratum dixero, minime temnas: quandoquidem a natura ad veritatem vel ſequendam, vel aſſerendam ita es inſtitutus, ut ab ejus

ſtudio vi nulla, aut aliquo ullo pacto dimoveri poſſis; quod ſane Principibus maximis, & potentiſſimis, quorum res ſummas promoves, vel apud quos de eiſdem agis, gratiſſimum reddit; contra vero animum virtutibus reliquis, majorum nobilium exemplo, ita excoluiſti, prudentia potiſſimum, atque humanitate, ut, quod ſincere, & ex animo prolatum de cetero angorem adferre poſſet, mira quadam, ac ſuavi ratione temperes, ac exhibeas. Ad hæc, duo ſunt, quæ me impulerunt maximopere, ut hunc tibi Commentariolum inſcriberem, alterum, quod pluribus de cauſſis obſtringi me, ac debere tibi fateor, alterum, quod ſtudiorum id generis vehementer delecteris; nam illuſtre tibi comparaſti muſæum, ac numophylacio potiris auro, argento, ære refertiſſi-


tiſſimo, in quo numi familiarum Reipub. Romanæ, Cæſares, ac inſequentium ætatum ad noſtram uſque Imperatores: immo, ut ea in re, qua caperis, voluptatem teſteris, argentei numi, in quibus Romanam hiſtoriam, non multis ab hinc annis, argenti flatores galli cuſere, connumerantur. Quamquam non una explevit tibi animum Romana res, locum, & quidem nec ultimum, nec mediocrem habet Eccleſiaſtica; nam Pontificum ſeriem in numis maximi etiam moduli expreſſam videre licet. Tum, ut nullus ea in re deſiderio locus eſſe unquam poſſit, variarum gentium, terrarumque numos factis etiam illuſtrioribus, fœderibuſque ſignatos, & qui ſtrenuos Duces, aut literatos homines, poſtremo & hæreſiarchas exhibent, in muſæo conlocaſti; ut interim ſilentio ob-

volvam gemmas, & carneolas: quæ quum primum quis videat, ſtatim animo aſſequitur quanti eruditionem ſive ſacram, ſive profanam facis, quas in oculis utraſque gerere te ſi quis pernegaret, næ ille deſiperet. Patere igitur, ABBAS ILLUSTRISSIME, ut morem geram animo meo tacite hortanti, ut hanc meam ad te amandum, & colendum propenſionem, non modo tibi, ſed, quatenus per me liceat, omnibus, qui muſas ſive ſacras, ſive profanas diligunt, fovent, ac protegunt, [quod in illis Eccleſiæ, & Reipublicæ ſalus, ac felicitas ſita ſit] hoc qualicumque labore, ac officio declarem, meque amare perge.

Romæ Kal. Octobris MDCCLXII.

Humill. ac Obſequentiſſ Fam.
Auguſtinus Mariottus.

DE



Fra.^{co} Belli Rom. del. *Pet.^{us} Bombelli Rom. sculp.*

DE NUMMO NEPTUNI

ARGENTEO INCUSO.



NUMMUS hicce, ruderibus quibusdam in agro Romano effossis, superiore anno repertus est. Ut vero ad Urbem delatus, oculos quorumdam, qui in re antiquaria sunt, atque censentur eruditissimi, offendit, nullum vel quod carie aliqua obesus, vel quod characteres

negotium facessiverint, de se judicium ab iis habere potuit. At contigit, ut, quum de illo in amicorum frequentia disputaretur, meam protulerim sententiam, quam scripto asseri nequaquam posse contendebat nonnemo. Hinc incessit mihi, qui tamen severiores musas colo, nec antiquariis accenseo me, cupido, rem & cognoscendi apprime, & pro modulo asserendi.

Isthæc scribendi occasio; sed jam Nummum versemus, & in antica sui parte principio animadvertatur. In ea aspicimus robustum virum, stantem, ad humeros fere usque crinitum, barbatum, cui pallium, semicirculi figura induta, terga operit, & brachia utraque recurrens, hinc, inde ex æquo diffluit; tridentem dextra elevat, & fere vibrat, non tamen jacit, si attento oculo cernimus, ac sinistro brachio longe extenso, manum imperantis ad instar prorsus movet: ex quo facili negocio colligitur, expressum eo loci Neptunum esse, præterea neminem. Nam crinibus prolixis, ac tortis, quos Lucianus in sacrificiis cyaneis nigros vocat, barba etiam refertum veteres Nummi, ac signa omnia exhibent, *De la Chausse Mus. Rom. sect. 2. tab. 7. edit. Rom.* 1707., *Antonius de Cavaleriis &c.*: & jure merito, quum de se ipsis

ipsis Dii apud Lucilium, teste Lactantio, *de ver. sap. cap.3.*

Ut nemo sit nostrum, quin Pater *optimu' Divum,*
Ut Neptun' Pater, *Liber*, *Saturnu'* Pater, *Mars,*
Janu', *Quirinu'* Pater *nomen dicatur ad unum.*

ubi legit Fr. Douza, *omnes dicamur ad unum.* Diserte Agellius, *lib.5. cap.12.*, *Jovem Latini veteres a juvando appellavere, eumdemque alio vocabulo juncto* Patrem *dixerunt. Nam quod est in elisis, aut immutatis quibusdam literis Jupiter, id plenum, atque integrum est, Jovis*-pater. *Sic &* Neptunus-pater *conjuncte dictus est, &* Janus-pater, *&* Mars-pater: *hoc enim est Marspiter, & Marspater &c.* Barbam itaque quum Jovi, in quo cælum, Plutoni, in quo terram nobis *συμβολῶς* innuerunt veteres, eamdem quoque Neptuno, in quo mare, dederint necesse est, ætatis, ac dignitatis ratione habita, tamquam primoribus, ac æternis elementis, quibus stat mundus, quem æternum, Aristoteles præsertim, voluerunt.

Applicemus animum ad pallium, (*carbasus* potius dici debet. *Carbasus*, inquit Non. Marcellus, *de gen. vestim. c.14. pag.790. n.28.*

 edit.

edit. Gothofred., *pallium*, *quo fluvii amiciuntur vel opulentiæ caussa*, *aut lino tenui*. *Virg. lib.*8.

Eum tenuis Glauco velabat amictu
Carbasus), ad pallium, inquam, quod eo modo sinuosum, ac utrinque diffluens, nil præ se novi, si ex se spectes, ferre poterit; nam pallium collo superinductum, si brachia eleventur, ut fit in Nummo, sinuari, & hinc inde diffluat necesse est; nisi velimus ad geminum ambitum, quo mare terram universam alluere Macrobius explicat, Artificem respexisse: *Nunc de oceano*, inquit, *in somn. Scip. lib.*2. *cap.*9. *p.*146. *edit. Griphian.* 1532., *quod promisimus*, *astruemus*, *non uno*, *sed gemino ejus ambitu terræ corpus omne circumflui*. *Cujus verus*, *&* *primus meatus est*, *qui ab indocto hominum genere nescitur*. *Is enim*, *quem solum oceanum plures opinantur*, *de finibus ab illo originali refusis*, *secundum ex necessitate ambitum fecit*. *Ceterum ejus prior corona per zonam terræ calidam meat*, *superiora terrarum*, *&* *inferiora cingens*, *flexum circi æquinoctialis imitata*. *Ab oriente vero duos sinus refundit*, *unum ad extremitatem septentrionis*, *ad australis alterum*. *Rursusque ab occidente duo pariter enascuntur sinus*, *qui usque ad ambas*, *quas supra diximus*, *extremita-*

mitates refusi, occurrunt ab oriente demissis. Qua idea retenta, dicere etiam oporteret, hemicycli illius figura, quam pallium induit, aquarum super terram alluvionem ab artifice fuisse expressam, quam non spæroidicam, aut alterius figuræ, sed sphæricam veteres unanimi consensione asseruerunt. Immo, *oceanum Græci, & Latini ideo nominant, eo quod in circuli modo ambiat orbem, sive a celeritate &c.*, verba sunt Isidori 13. *Orig. c.*15. *pag.*1151. *edit. Gothofred.* Vel ergo pallii figuram motus ipse corporis, ut superius dicebam, fecit, vel, si, data opera, pallium adaptavit artifex, dicendum in ea significasse Neptunum; nam postremo & inde plures antiquorum dictum esse Neptunum pronunciarunt, quod terram operiat, & obnubat, tamquam velamento aliquo, aquis, ut Varro *lib.*4. *de ling. lat. pag.*13. *laud. edit. Dionys. Gothofr. Neptunus, quod mare terras obnubit, ut nubes cælum: a nuptu, id est opertione, ut antiqui*.

Videamus jam, anne quod robustum, & stantem cælarit artifex, argumentum inde præbuerit agnoscendi Neptunum? Equidem vis illa corporis universi jure datur Neptuno, utpote qui primas in mundo ferat cum reliquis elementis, quæ veteribus ἀρχαὶ, & στχεῖα dicta sunt:

Omne corpus, inquit Cicero, 2. *de nat. Deor.*; *aut aqua, aut ignis, aut aer, aut terra, aut quæ ex iis componuntur*; hinc videmus Junonem, sub qua aera expresserunt, corporis habitu augusto, validoque, ut Jovem etiam, Plutonemque, effingi. Robur ergo ille Neptunum satis indicat, quod aquam, sicuti & cetera elementa numquam intermoritura, sed perpetuo vivacia, ac robusta fore censuerint. Audiatur Macrobius *lib.*2. *cap.*12. *pag.*158. *laudat. edit.* *Quod autem* ait (Tullius) *mundum quadam parte mortalem, ad communem opinionem respicit, qua mori aliqua intra mundum videntur, ut animal exanimatum, vel ignis extinctus, vel siccatus humor. Hæc enim omnino interiisse creduntur. Sed constat secundum veræ rationis assertionem, quam & ipse non nescit, nec Vergilius ignorat, dicendo: nec morti esse locum, constat, inquam, nihil intra vivum mundum perire, sed eorum, quæ interire videntur, solam mutari speciem, & illud in originem suam, atque in ipsa elementa remeare, quod tale, quale fuit, esse desierit.*

Stantis figura quoque Neptunum plane confirmat. Hic vero loci opus factu est, revocemus in memoriam πολυωνυμία, sive nominum multitudine alia, atque alia, prout effectuum, quos

quos producere credebantur, ferebat varietas, ratione habita, insigniri solitos fuisse Deos: sic Jovem, sic Apollinem, sic Mercurium, aliosque modo uno, modo alio, juxta effectus, nomine compellabant. Quod adeo pergratum sibi factum censuerunt Dii, ut *Diana*, verba sunt Jo. Seldeni *de Dis Syr. in Prol. cap.3. pag.55. edit. Lugd. Batav. 1629., apud Callimachum, Jovem Patrem, ut perpetuum sibi virginitatis florem, & πολυωνυμίαν tueretur, enixe impetret,*

Δός μοι, inquit, παρθενίην αἰώνιον, ἄππα, φυλάσσειν,

ἐ πολυωνυμίην ......

Onomacriti hymnos, (quorum auctorem Orpheum credit imperitum vulgus), qui luculentissimum hujusce rei specimen præbent, mitto, & de astrochitonis nominibus quadraginta plus minus carmina, ubi Bacchus μύσηδι, ut ait Nonnus, φωνῆ precatur, occupantibus moneo: habentur in Dionysiacorum XL. *Ab hoc ritu Isis μυριώνυμος dicta est, &c.*, & paullo superius: πολυωνυμία *exoptatissima habita est numinibus gloria*. Itaque, ne longe abeam, Neptunus ipse Conservatoris Augusti, in numo Gallieni, Reducis, in nummis Postumi, Vespasiani, & in Inscriptionibus, Hubertus Goltzius *in Thesaur. antiqu. edit. Antuerpien. 1579. pag.7.*, Serva-

toris, *in centum Inscript. Jos. Rocch. Vulpii, num. 29. pag. 133. tom. 19. opuscul. Angel. Calogerà*, ac Tutelaris, in pervetusto Kalen. mens. Feb., inter Authores rei rusticæ, *edit. Populi Rom., & apud Gruther.*, titulo insignitur. Ἵππιος quoque dictus, ut fabula fert, ac notat Junius Philargyrius *in Georg. Vergil. pag. 255. inter auctores rei rustic. in ædib. Pop. Rom. 1587. Neptunus etiam parens quorumdam equorum fertur, ut Pegasi ex Medusa, & Arionis ex Cerere, cujus seminium Adrastus habuit*.

At enim Macrobius, ut ad rem veniam, audiatur. *Nec mirum*, inquit *Saturn. lib. 1. cap. 17. pag. 264. laudat. edit., si gemini effectus variis nominibus celebrantur, cum alios quoque Deos ex contrario in eadem re duplici censeri & potestate accipiamus, & nomine, ut Neptunum, quem alias ἐνοσίχθονα; id est terram moventem, alias ἀσφαλίωνα, id est stabilientem vocant*. Ἀσφαλίωνα igitur Neptunum expressurus artifex, stantem reddidit; nam, si, teste Oppiano, terræ fundamina inconcussa stabilire dicitur, eum ratione illa effingi oportuit, qua firma hæc terræ statio significaretur, quod pede firmo stans optime innuit.

Sed, quum imperantis instar brachium sinistrum longe protendat, corpusque impetu paul-

paullum actus ante ducat, oportet, ad statices leges, ab eo parumper sinuari poplitem, calcaneumque dextrum elevari; digitis tamen, semipedeque humi stans, ut fundamina terræ sint inconcussa. Hoc igitur loco dicere nequaquam possumus, quod sit ἐννοσίγαιος, sive ἐνόσιχθον, neque rursus, quod pugnet: nam hoc adversus Montefalconium inferius falsum esse evincam: reliquum ergo, ut motus ille dexteræ, motus tantummodo sit imperantis, & qui ventos, fluctusve marinos compescat, qualis apud Vergilium, 1. *Eneid.*

Eurum ad se, zephyrumque vocat, dehinc talia fatur:
Tanta ne vos generis tenuit fiducia vestri?
Jam cælum, terramque, meo sine numine, venti,
Miscere, & tantas audetis tollere moles?
Quos ego... sed motos præstat componere fluctus:
Post mihi non simili pœna commissa luetis.
Maturate fugam, regique hæc dicite vestro,
Non illi imperium pelagi, sævumque tridentem,
Sed mihi sorte datum; tenet ille immania saxa,
Vestras, Eure, domos: illa se jactet in aula
Æolus, & clauso ventorum carcere regnet.

Dicebam vero, Neptunum ἐνοσίχθονα non exprimi; nam fuit hæc veterum Græcorum sententia, quod terræ motum aquarum concussio cieret, ita Servius in 1. *Æneid.*, *pag.* 298. *edit. Basileens.* 1534., ad illud *Neptunus muros, ipsi enim*, inquit, *fundamenta sunt consecrata, cujus & moventur arbitrio, unde ἐνοσίχθων, ἐνοσίγαιος dicitur, hoc est terram movens aquæ concussione, sicut terræ motus continent opiniones*, & Isidorus *lib.* 14. *c.* 1. *Etymol. pag.* 1160. *laud. edit.*, *cujus* (terræ) *motum alii dicunt ventum .... alii aquam dicunt generalem in terris moveri, & eas simul concutere sicut vas, ut dicit Lucretius*; quamquam posteriores Romani non ita senserint. *Quænam*, inquit A. Gellius *Noct. Attic. edit. Griphian. ann.* 1556., *pag.* 85. & 86., *esse caussa videatur, quamobrem terræ motus fiant, non modo his communibus hominum sensibus, opinionibusque compertum non est; sed ne inter physicas quidem philosophias satis constitit, ventorum ne vi accidant specus, hiatusque terræ subeuntium, an aquarum subter in terrarum cavis undantium, fluctibus, pulsibusque, ita uti videntur existimasse antiquissimi Græcorum, qui Neptunum ἐνοσίγαιον, καὶ σεισίχθονα appellarunt; an cujus aliæ rei caussa, alteriusve Dei vi, ac numine, nondum etiam, sicut diximus,*

mus,

mus, pro certo creditum. Propterea veteres Romani cum in omnibus aliis vitæ officiis, tum in constituendis religionibus, atque in Diis immortalibus animadvertendis castissimi, cautissimique, ubi terram movisse senserant, nunciatumve erat, ferias ejus rei causa edicto imperabant. Sed Dei nomen, ita uti solet, cui servari ferias oporteret, statuere, & edicere quiescebant, ne alium pro alio nominando, falsa religione populum alligarent. Eas ferias si quis polluisset, piaculoque ob hanc rem remotum esset, hostiam sic Deo, Deæ immolabat. Idque ita ex decoris Pontificum observatum esse M. Varro dicit: quoniam & qua vi, & per quem Deorum, Dearumve terra tremeret, incertum esset. Quod repetit Alexander ab Alexand. *Genial. dier. lib.5. cap.27.*, ibique Tiraquellus.

Itaque, & robur iis, quæ superiore §. dixi, adjiciatur, Neptunus hoc loco ἐνοσίχθων haudquaquam exprimitur; nam, ut esset ἐνοσίγαιος, oportuisset, ut tridentem non attolleret, sicut in Numo, sed ipso terram percuteret, quo icta illa intremeret: sic enim apud Ovidium, *Metamorphos. lib.1. pag.15. edit. Elzevirian. ann.1664.*

Ipse tridente suo terram percussit, at illa
Intremuit......

& 2. Æneid.

Neptunus muros, magnoque emota tridente
Fundamenta quatit, totamque a ſedibus urbem
Eruit .....

De tridente denique verbis quid opus eſt? Servius in ea Vergilii, 1. *Æneid.*, *Jam cælum, terramque, certe*, inquit, *pag.*208. *laud. edit. illud eſt, quod tria hæc numina, licet diviſa imperia teneant, videntur tamen regni totius habere poteſtatem, ſicut & ipſa elementa, quæ retinent, phyſica inter ſe quadam ratione junguntur, quod & ipſorum Numinum ſceptra ſignificant. Jupiter enim triſido utitur fulmine, Pluton cerbero, Neptunus tridente.*

Et hæc quidem omnia, ut patet, *ſalſipotentem, & multipotentem Jovis fratrem Nereum Neptunum*, ut cum Plauto, *Trin. act.*4. *ſc.*1., *pag.*267. *t. edit. Aldin.* 1522., loquar, nummo adſtruunt: quare non video, eccur ea de re fuerit dubitatum. Negotium ne faceſſiverunt characteres? ſcilicet primo obtutu inſpicientibus ingerere ſpeciem ii poſſent; quod tamen ingerant, nihil eſt. Vel enim characteres illos, uti græcos univerſos legimus, vel uti etiam alienis literis admixtos: utrumque qui faciat, Neptunum profecto leget, & ex characteribus,

ribus, ut ex reliquis hucusque dictis, nummo adstruet.

Itaque, quum Latini Neptunum, Græci ποσειδῶνα vocent, quis jam eo numo salsipotentem ab artifice expressum addubitet? prima, ac tertia litera, in quibus difficultas esse potest, græcæ hercule sunt, ac π, & σ sonant. Nam, licet ea antiquissima Π forma sit; in vetustissimis tamen marmoribus, etiam hæc postrema ϖ perlegitur; σ etiam græca est, siquidem vel inclinatur hac ratione Ϻ ab artifice ob figuram nummi circularem, quam scribendo insequitur, vel fere hoc modo Σ erecta sculpitur, ut in pervetustis quibusdam nummis, ac marmoribus exhibetur, quod & Montefalconius in Palæographia, ejusque Epitomator Hieromonachus Cryptoferratensis docent. Et hæc quidem, si literæ, græcæ sint universæ; si vero permixtæ fuerint alienis characteribus, adhuc in illis ποσειδῶνα, perlegamus, necesse est, quum σ, in quo major sita videtur difficultas, sic redditum, ut M græca, cum phænicia litera S omnino conveniat, apud quos ita scribitur Ϻ. Constat autem tam apud Græcos, quam Romanos, characteres alienos, in nummis quoque miscere, fuisse in more positum, ut etiam observat Spanhemius, *de præst. & us. num. edit. Rom. an.* 1664. *pag.* 48. Sive ergo

ergo græce totam, sive alieno charactere etiam permixtam inscriptionem legamus, ea Neptunum utrimque exhibet.

Ad hæc, Montefalconius, in *antiquit. explic. lib.2. c.7.*, *pag 68.* §.5. *tom.1.*, *edit. Paris.* 1719., *tab.32. n.7.*, nummum profert, illi, qui præ manibus est, simillimum, iisque characteribus cælatum, qui in nostro visuntur, & paullum in eo differt, quod characteres manui sinistræ recta subsunt, hoc modo, LOWE I & post σ, ει insuper additur, & ποσιίδονια, sive, ut ego, ποσειδονια legit. Porro, in eo Neptunum & Montefalconius jure merito agnoscit; unum me ab illius sententia distrahit, quod, quum ille *num.6.* nummum, in quo Neptunus pugnax est, exhibeat, contendat deinceps, pugnare etiam Neptunum in altero, quem dixi, nummo, *laudat. n.7.*: sed en ejus verba: *Observatu dignus est nummus sequens 6.*, (*tab.32.*) *Demetrii Poliorcetæ contra Ptolemæum pugnam, & victoriam navalem præferens, cujus apud Plutarchum descriptionem habes. In prora navis victoria stans tuba canit, in altera nummi facie Neptunus, pugnantis more, brachium pallio involvens, tridentem vibrat, ut hostes profliget*, & usque dum Montefalconius recte; pergit vero. *Pari modo* (*ead. tab.*

tab. n.7.) instructus ad pugnam cernitur in nummo Posidoniorum, qui sibi Neptunum favere, putabant, quod Neptuniorum nomine insignirentur. Nam, quod *in num.6.* Neptunus pugnet, satis demonstrat 1. motus corporis anteducti, 2. tridens, quem prorsus dextera vibrat, & quod magis est, pallium, non ab humero hinc inde diffluens, aut corpus aliquo modo obtegens, quum nudum pateat totum, sed sinistro brachio quod prope manum circumit, superinductum, hac ratione  , quæ pugnaturis omnino convenit: hos enim expeditiores, quoad fieri potest, oportet esse ad pugnam. Male ergo, *in 7. num.*, Neptunum pugnare contendit Montefalconius, quum neque corpus ante, ut *in 6. num.*, Neptunus ducat, neque tridentem dextra vibret, sed sinistra complectatur, neque, impedimenti loco quominus sit, pallium, sive carbasum brachio involvat; ut interim silentio prætercam posticam nummi faciem, in qua anteiisse prælium victoria stans, ac tuba canens negocio facili indicat. Stat igitur, Neptunum, *in laud. 7. n.*, uti ventos, fluctusque compescentem exhiberi, eo prorsus modo, quo insculptum ab Artifice fuisse in nostro superius asserebam. Atenim, quod caput in nummo est, Mon-

Montefalconius ipſe Neptunum nummo adſtruit, mecumque una ſentit. Et hæc de antica numi facie.

Reliqua ſupereſt poſtica nummi pars, in qua, ſi nonnihil difficultatis ineſſe dixero, longe non abeam. Atqui illam inſpiciamus. Figura, quæ eo loci effingitur, motu corporis, pallio, & inſcriptione, alteri, quam explicavi, ſimillima prorſus eſt; nam ſtat, pallium, ſeu carbaſus, ſinuatur, ac utrimque, brachia recurrens, diffluit, manuumque alteram, ut tridentem elevet, attollit; alteram, protenſo brachio, recta extendit. Characteres item iidem ſunt; ac MOᒣ, ut in antica, legitur. Hiſce vero ab illa differt, primo, quod in antica pectus ſine carbaſo, qui terga operit, figura videntibus exhibet; in poſtica, abſconſo pectore, terga pallio ſinuoſo induta offert. Deinde, quamvis dextera, ſiniſtraque manus eodem ex æquo ac in antica, repræſententur modo, ita ut eadem de cauſſa, tridentem adeſſe omnino oporteret, tridens nihilominus non apparet. Tertio, quod barbatum antica exprimat, poſtica ſine barba; denique characteres in antica, inſpicientibus nummum, ſiniſtrorſum, in poſtica dextrorſum ſunt: utrimque vero a dextra, ut apud Hebræos fieri ſolet, legi incipiunt, quod & apud

apud Græcos in more positum fuisse veteres inscriptiones, nummique aliquot, immo & ille, *superiore* §., Montefalconii, & hicce noster ostendunt. Et hæc, quibus postica, sed forsan leviter, ab antica differt.

Est autem aliquid, quod ex toto inter se distrahuntur, nam anticæ nummi partis figura prominet, ut in nummis ceteris, posticæ vero faciei imago cava, & intus cusa, sive, ut ajunt, *incusa* contra est. Quæ sane res, licet nunc primo non accidat, difficultatem nihilominus inspicientibus ingerit, caussamque apud Scriptores rei nummariæ, quorum nonnemini iccirco hæret aqua, diversam habet. Sed horum duo audiantur. Begerus, *in Thesaur. elector. Brandeburg. select.*, *in Metapontinorum felici agricult. pag.329. edit. Colon. March. 1696. De capite bovis*, inquit, *adhuc audire placet*, *subjecit Archæophilus*; *neque enim quo fine in numismatibus Metapontinorum occurrat*, *facile dixero*; *&*, *cum INCVSVM sit*, *neque rationes signaturæ assequor*. *Caput bovis*, *respondit Dulodorus*, *ex agricultura interpretationem mutuatur*, *de qua supra*. *Ratio signaturæ obscura esse non potest*. *Cum figura massæ argenteæ* incusa *sit*, *utique clarum est*, *eam in matrice*, *quam vocant*, *non cælatam*, *sed ex ea elevatam fuisse*,

eo

eo plane modo, quo hodienum artis peritissimi numismatum & figuras, & inscriptiones ex chalybe elevare, & elevatas in matrices incutere solent, ex quibus postea rursus elevatæ in numismatibus prodeunt. At mihi, excepit Archæophilus, error signaturæ hic videbatur inde ortus, si numisma quoddam percussum ex superiore matrice forte non eximeretur, unde postea necesse fuerit, figuras ejus substratæ laminæ eo modo imprimi, quo & in hoc Metapontinorum numismate cernimus. Res credibilior est, quo rariora sunt ejus exempla, cum plura proculdubio prostarent, si ex προαιρέσει procederent. Paucitas exemplorum, respondit Dulodorus, contra me nihil facit, cum ingenii politioris hic fœtus esse possit, qui ut a communi more interdum recedit, ita & raritate sibi pretium conciliare solet. Ceterum nec numismatis percussi figuræ elevatæ ejus duritiei sunt ut denuo argenteam massam frangere, eique ita immitti possint, nec omnia exempla rationem admittunt; si enim valeret, eadem figura, quæ in aversa elevata cernitur, eadem etiam in adversa incusa constanter deberet reddi; nam, si residet in superiore matrice, necessario inferioris figuram denuo massæ argenteæ imprimit, quæ & ab altera elevata redditur. Sed hoc in numismatibus perpetuum non est, uti vel ex

pro-

proposito intelligas, in quo non eadem figura, SPICA videlicet, sed diversa plane, CAPUT BOVIS redditur. Hactenus Begerus. Jobertius vero, *Scien. delle medagl. tom.1. Istruz.8. pag. 172. edit. Venet. an.1756.: Se ne trovano*, inquit, *fralle antiche consolari, ed alcune nelle imperiali di bronzo, e di argento. Noi le chiamiamo INCUSE, cioè non improntate. La conformità di queste medaglie potrebbe sorprendere un nuovo curioso, perche in vece di un rovescio, non hanno se non l'istesse figure, che hanno dalla parte della testa, battute come per fare un modello, o una forma. Confesso, che ho sempre avuta difficoltà nel comprendere, che ciò sia seguito per difetto di avere applicato il secondo quadrato, o forma di acciajo, e volevo più tosto figurarmi altre ragioni, finche ho inteso da uno*, (l'Ab. D'Aizot), *che fra gli uomini di Francia intendeva meglio, che cosa fosse il torchio di monetiere, che ciò veniva dalla fretta del monetiere medesimo, il quale prima di ritirare una medaglia, che aveva battuta, rimetteva un nuovo tondo; il quale trovando da una parte il quadrato, o la forma di acciajo, e dall'altra la medaglia precedente, improntava dalle due parti l'istessa testa, da una parte in rilievo, dall'altra in incavo, ma sempre più imperfettamente,*

essen-

essendo lo sforzo molto più debole dalla parte della medaglia.

At enim mihi neutra sententia arridet; siquidem Begerus, ut a primo exordiar, vel sui conceptus ideas explicare nescit, vel a vero quamlonge distat; nam *artisperitissimi*, ut ipse contendit, non ex eo figuras, & characteres, qui in nummis prominent, efformant, quod *numismatum & figuras, & inscriptiones ex chalybe elevare, & elevatas in matrices incutere solent, ex quibus postea rursus elevatæ in numismatibus prodeunt*; sed iccirco imagines, & characteres prominentes ex toto videntur, quod in chalybe ipso cavum utrorumque exemplum cælo insculpat malleator. Jobertii quoque, sive Aizotii ratio, quamvis verosimilior, nutat tamen: nam eluitur argumento Dulodori, quod ex Begero mox retuli, *nec numismatis percussi figuræ ejus duritiei sunt, ut denuo argenteam massam frangere, eique ita immitti possint; si enim valeret, eadem figura*, (quod tamen perpetuo non accidit, ut patet etiam in specie nostra), *quæ in aversa elavata cernitur, eadem etiam in adversa incusa reddi constanter deberet*.

Alio itaque mentem, cogitationemque facto opus est, ut applicemus; imago etenim nummi postica, licet sit eadem, si ea ex toto

con-

conſideretur, ex æquo ac illa, quæ in antica ſculpitur, diſcrepat nihilominus, ut cetera recenſita, quæ huc minime faciunt, modo prætermittam, primo, quod antica, ut ſuperius dixi, pectus ſine carbaſo, qui terga operit, videntibus exhibeat; contra poſtica, pectus omnino abſcondat, & terga pallio ſinuoſo induta offerat. Secundo, quod in antica characteres incipiunt circa ſuram Neptuni litera Π, in poſtica autem, circa nates quidem, ſed litera Π. Porro certum quamquod maxime eſt, quod ſi ſuperior nummi imago, modo, quo contendit Jobertius, malleatoris celeritate reddi in infero argento debuiſſet, debuiſſet ſane reddi anticæ ſimillima; atenim antica pectus exhibet, poſtica vero terga, antica poſt humeros habet carbaſum, qui parum hinc inde circa latera apparet, poſticam pallii ſinus totus, quantus eſt, amicit. Eadem de cauſſa, quum inſcriptio circa Neptuni nates in antica ſiniſtrorſum videntibus habeat Ʒ, in poſtica eodem loco, licet videntibus dextrorſum, Ʒ legi deberet: & nihilominus legitur ך. Conſtat itaque neque a Begeri, neque a Jobertii partibus ſtare nos poſſe.

Dicet aliquis, quanam ratione id ergo accidit? At enimvero, quis ego ſum, ut rem expli-

plicatu difficillimam, quam Antiquarii ipſi vel exiſtimant, vel faciunt, oraculo quaſi ex tripode accepto, propinem? nullus certe, ac Davus quidem, non Oedipus. Dicam tamen, quod ſentio, lector, aptiora donec, aut veriora ſuppetent, ſi lubet, ſequetur. Sicuti in ſuperiore chalybe, quam exemplum, matrem, & patrio ſermone, *ſtampa*, *forma*, *conio* juremerito dixeris, Neptuni imaginem totam cavam effinxit Artifex: unde in argenti percuſſione viſa eſt inde prominens ex toto; ita, (quoniam contrariorum eadem eſt ratio), in chalybe infera imago nummi noſtri poſtica ex toto prominens efformata ab illo eſt; quo factum, ut cavum quum eſſet ſuperius exemplum, Neptunus prominens redderetur; cava autem figura nummi poſtica, quod exemplum, aut mater prominens ei ſubeſſet, ſignata appareret: nam, quod malleator cælo, aut viriculo illam inſculpere voluerit, neutiquam mihi arridet. Hactenus de *materiali*, ut ſcholæ loquuntur, nummi figura.

Reſtat aduc, quod in nummo præcipuum eſt, de imagine ipſa inſtituendus ſermo. Etenim, quum eadem figuratione, ſi ea, quæ adnotavi, excipiantur, poſticam ex æquo ac anticam nummi faciem cuſerit argenti flator; quæri juremerito poteſt, eccur iterum eadem imagine ſigna-

ſignare nummum ei libuit ? quamvis enim ejus generis nummi novi non ſint, ut de illo Neronis in averſa, & adverſa parte ex æquo inſculpti teſtatur Antonius Auguſtinus, *Dial.2. pag.23. edit. Rom. 1736.*, hoc tamen rariſſime accidit, & non ſine cauſſa factum eſſe dicendum.

Sed in ſpecie noſtra rem innuat Catullus, *ad Sirm. Pen.*, *edit. Aldin. an.1558. pag.44.*

Peninſularum, Sirmio, inſularumque
Ocelle, quaſcunque in liquentibus ſtagnis,
Marique vaſto fert uterque Neptunus,
Quam te libenter, quamque lætus inviſo &c.,

explicet vero Turnebus: *Quum, inquit, de Sirmione Catullus ſcribit* Quaſcunque &c., *quæſitum eſt, qui ſit uterque Neptunus? ac probabilis eorum videtur eſſe ſententia, qui mare ſuperum, & inferum, quibus Italia cingitur, interpretantur. Verius tamen fortaſſe videri poteſt, quum ſignificet Neptunus eam vim, quæ humori præeſt, ut utrumque Neptunum intelligamus & eum, qui dulcibus, & eum, qui ſalſis aquis imperat. Sic enim Sirmio inſulis, & peninſulis omnibus maris, & fluminum, & lacuum anteponetur. Huic expoſitioni favent Catulli verba, qui & liquentium ſtagnorum, & maris mentionem facit.* Hæc Adrianus Turnebus, *Adverſ. lib.24. pag.302. edit. Pariſ.1565.*

cujus

cujus primæ ſententiæ adhæret M. Antonius Muretus, *pag.*44. *t. laud. edit. Ald.* Uterque Neptunus, *mare ſuperum*, *&* *inferum ſignificat*. Veteres ergo, qui erant, ut amicus meus olim cecinit:

E di filoſofia ricolmi il petto,

Neptunum utrumque exprimere percupientes, gemina ejus figura ſignarunt nummum. Quod, ſi deeſt in poſtica nummi parte barba, &, quod magis eſt, tridens; attamen ex eadem imaginis figuratione, & corporis, brachiorumque motu, ut in antica, nemo ibit inficias, quod tridens etiam adeſſe oportebat, ut mentis conceptus malleatoris, artificiſque effectui reſponderet: nam barba, vel quod imago ipſa in nummo cava, vel carie aliqua obeſa, pictoris oculos, qui nummum pennicillo reddidit, forſan effugiit. Ceterum, quum videam poſt Neptuni ſuras utraſque, talumque dexterum, in antica nummi facie, aliquas argenti effuſiones, excurſioneſque, quas vulgo dicimus *ſgranature*, cenſerem, nummum hunc, quantus eſt, ab argenti flatore primo cuſum, non, ut perfectus tunc prodiret, ſed, ut experimentum quoddam faceret, quo viſo, perfectiorem inde redderet, abſolutiſſimuſque in conſpectum, lucemque hominum veniret. Hæc, inquam, mihi cauſſa, ut

ut reor, quod tridens desideretur, utpote numo infecto, quamvis, ut dicebam, adesse omnino debeat.

Locum postremo, in quo cusus nummus est, inscriptio ipsa facili negocio indicat. Nam, si illa ποσειδȣνια, vel ποσειδῶν legatur, argumento est, a Posidoniis cusum, qui nomine, Neptuni insigniti erant, eique opidum illud, ni malis, urbs, sacrum. Est autem Posidonia opidum maritimum in Lucania a Sybaritis conditum, quod postea nuncupatum est Pæstum, ut auctor Strabo, *lib.*5., hodie *Pesti*, sive *Piesti*.

Et hæc de nummo Neptuni argenteo incuso pro ingeniolo differere visa sunt. Plura, & eruditiora promet, cui otium diuturnius, reique nummariæ scientia major præsto est: mihi ultra progredi horæ subsecivæ denegarunt.



IMPRIMATUR,

Si videbitur Rm̃o P. Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Dom. Jordanus Archiep. Nicomed. Viceſgerens.

****

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Qualeatti Ord. Prædic. Rm̃i P. M. Sac. Pal. Ap. Socius.